

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

60. Quoties peccet fur qui, gravem pecuniæ summam subripere intendens, per minuta furta procedit, ne detegatur?

Si fur ab initio intendat surripere aliquam summam determinatam per minuta furta, v. gr., ne detegatur, *probabilius unicum admittit peccatum*, quia unicus est actus moralis; omnes siquidem actus particulares ad quid unum efficiendum determinate tendunt.—I, 615.

Si quis, ex intentione furandi centum aureos, surripiat eos *centenis vicibus moraliter interruptis...*, *melius re perpensa*, dicendum hujusmodi furta esse *centum distincta peccata mortalia*, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se contineat.—*Secund. elench. prop. reform.*, quær. 6.

61. An qui est in necessitate quasi extrema possit sibi ex bonis alienis providere?

Controvertitur. Affirmant non pauci... Negat autem alii... Prima sententia est communior et *videtur etiam probabilior*.—I, 619.

Certum est eum qui est in extrema necessitate constitutus posse... *Idem dicitur*, quando necessitas est proxima extremæ, aut illi æquivalens...—III, 520.

62. An quid fur tenetur quando res ablata varium habuerit valorem tempore detentionis?

Si dominus eandem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuisset, vel si eam, antequam pretium ejusdem crevisset, fuisset consumpturus, videtur *negandum probabilius* (furem teneri ad restituendam rem juxta majorem, quem aliquando habuit, valorem)... Affirmant tamen alii non pauci.—I, 648, resp. 2.

Si dominus consumpturus fuisset rem tempore vilioris pretii, fur vero consumpserit tempore incrementi, sentiunt Molina, etc., furem non teneri nisi ad pretium vilius... Sed mihi videtur omnino *verior opposita* (sententia). Si dominus consumpturus fuisset agnum tempore vilioris pretii, et apud furem creverit valor, sed postea decreverit..., respondet Concina furem teneri ad restituendum vilius pretium... Sed id mihi videtur *penitus improbabile*.—III, 621; *Homo apost.*, tract. X, 78.

63. An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes?

Affirmandum videtur; in eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitæ ad restitutionem urgendam, scilicet, actio injusta, causa damni efficax, et culpa theologica... Nonnulli tamen negant cum S. Alphonso. Ratio

Prima sententia absolute affirmat... Secunda negat eum teneri, modo is non intenderit, ne in confuso quidem, incendere domum alterius quam Titii... Ratio, quia ad obligationem restitutionis, quæ oritur ex damni-

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

eorum... ex dictis *parum valere* videtur.—I, 664.

catione principaliter facta propter injuriam, requiritur injuria formalis; nec sufficit materialis et solum effectiva sine animo, sicut nec sufficit injuria tantum affectiva opere externo non completa.—III, 629.

64. An teneatur ad restitutionem sua actione?

Probabilius... urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato, et dubium est dumtaxat quisnam fuerit damnificator inter plures qui eodem modo actionem damnificativam possuerunt... Nonnulli tamen eos à restitutione omnino *excusant*; sed *minus firmis argumentis* id evincunt... In dubio an proles sit... ex tali adultero potius quam ex tali alio..., uterque adulter tenetur ad restitutionem pro rata.—I, 668, resp. 2; I, 733, quær. 2.

qui dubitat an damnum evenerit ex sua actione?

Si dubium sit an proles sit sua (adulteri) vel mariti..., *communis est sententia* quæ *excusat* ab omni restitutione adulterum...; et ob eandem rationem idem tenent valere, si dubium sit inter duos adulteros cujus sit proles... Quæ utique sententia, *spectata ratione*, et *absolute* loquendo, *probabilior est*; nemo enim tenetur ad damnum, *nisi certo moraliter constet* ipsum fuisse causam damni (et S. A. aliquam tantum exceptionem adjicit).—III, 657, 658.

65. An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad majus avertendum?

Negat., si agatur de eadem persona...; secus autem, juxta multos, si agatur de alia de qua damnificator non cogitabat, quia hæc rationabiliter invita merito censetur. S. Ligor. *Contrarium* tamen tenent alii, ratione *satis probabilis* ducti.—I, 677, quær. 2.

Dixi *adversus eandem personam*, quia *adversus aliam* in particulari *nequit suaderi damnum*, quantumcumque minus. Addit Viva, quod solum in genere potest suaderi illi ut potius minus malum faciat... Imo concedit posse dici illi qui vult furari a Titio, ut furetur ab alio in genere... *Sed huic non acquiesco*.—III, 565.

66. An excusetur a restitutione qui dat injustum suffragium, expleto jam numero votorum necessario?

Controvertitur. Plures graves theologo affirmant... Negant alii.—I, 682, resp. 4.

Ultimi qui iniquum dant suffragium, peccant; sed *non tenentur ad restitutionem*, cum non sint causa damni, nisi *ex conducto* egerint.—III, 566.

67. An præferendi sint creditores tempore priores posterioribus?

Negat. probabilius... Affirmant tamen plures.—I, 706, quær. 4.

Utraque (sententia) est probabilis sed secunda (scilicet, *affirmativa*) *probabilior*.—III, 690.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

68. An creditor, qui a debitore omnes solvendo impari solutionem accepit, teneatur ad restitutionem?

Controvertitur. Prima sententia affirmat. Secunda sententia negat... probabiliter.—I, 707, quær. 8. | *Verius* P. Concina, etc., dicunt ipsum *in conscientia teneri* aliis pro eorum rata satisfacere.—III, 693.

69. An debitor liberetur in dubio vel probabilitate solutionis?

Negat. in mero dubio... In vera probabilitate, *controvertitur.* Prima sententia communior negat... Secunda dicit restituendum pro rata dubii, saltem si uterque dubitat... Tertia sententia debitorem ab omni obligatione liberat.—I, 721, quær. 7. | Quando debitum est certum, et probabilitas versatur circa factum solutionis, *certe* ex probabili solutione debitor non liberatur; quia solutio probabilis æquare non potest debitum certum.—III, 700, in fine; I, 34.

70. An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?

Prima sententia affirmat... S. Ligor. et alii communissime. Secunda sententia quorundam recentiorum negat.—I, 729, quær. 1. | Secunda sententia (affirmat. exceptis quibusdam casibus) communis et *omnino tenenda* docet ipsum obligari ad matrimonium.—III, 642, quær. 1.

71. An adulteri vel fornicatores divites, mittentes prolem ad nosocomium, teneantur ad impensas resarciendas?

Controvertitur. Prima sententia communior et *probabilior* affirmat... Secunda sententia negat.—I, 734. | Universe (negat.) sententiam ego puto *probabilior*; ratio, quia hujusmodi hospitalia non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo.—III, 656.

Tract. de contractibus.

72. An nullus contractus ex metu levi initus sit rescindibilis ad nutum metum perpassi?

Probabilius *nullus contractus*, saltem onerosus, initus ex metu levi est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius qui metum passus est.—I, 780-3. | Excipienda tamen censet Salmant. omnino esse *sponsalia*, quæ etiam per metum levem contracta rescindi possunt per judicis sententiam, ex maxima libertate quam sponsalia requirunt.—III, 718; et IV, 844.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

73. An metus gravis incussus a comparte in ordine ad contrahendum, irritet contractum?

Quoad contractus gratuitos, affirmandum. Hoc enim a fortiori patet et dictis de metu levi. Quoad contractus onerosos, *valde controvertitur, et duplex datur sententia probabilis.*—I, 781. | Prima sententia affirmat... Secunda tenet contractus gratuitos esse invalidos, non vero onerosos... Tertia *probabilior et communissima*, quam tenent Lugo... et alii innumeri, docet talem contractum esse quidem, *rescindibilem, non vero invalidum.*—III, 716.

74. An valeant juramenta metu extorta ad firmandos contractus?

Duplex sententia datur probabilis. Prima communior affirmat, quia ex motivo religionis juramentum servari debet... Secunda *probabilis negat.*—I, 793. | Secunda sententia *longe probabilior*, quam tenet S. Thomas..., *dicit tale juramentum obligare.* Ratio, quia tenemur efficere ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus.—III, 174.

75. An in dubio utrum mutuarius dederit aliquid ultra sortem gratis vel non, possit id retinere?

Affirm. cum sententia communior et probabiliori, nisi aliud ex circumstantiis definiri debeat. S. Ligorius.—I, 854. | Respondet... Salmant. quod *si mutuans accepit munus in bona fide*, potest, superveniente dubio, illud retinere; *secus vero* si accepit cum dubio... Si acceperit cum dubio positivo, admittit Sporer posse retinere... Sed *communiter et recte* id negant Les., Concina..., etc. (confer, integr. quæst.).—III, 761, quær. 2.

76. An liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?

Affirmative probabiliter. Ratio est, quia res ultronea juxta communem æstimationem pretio decrescit... Negant tamen alii probabiliter.—I, 893, quær. 4. | Prima sententia affirmat... Negat autem secunda, quia hoc videtur adversari charitati et justitiæ... Hæc *secunda* est quidem *æquior, et omnino suadenda*; sed, spectata, ratione, *prima sententia non videtur improbabilis.*—III, 802.

TOMUS II

Tract. de statibus particularibus.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

77. An semper pro possessore iudex pronuntiare debeat in æqualitate rationum?

In dubio de sola proprietate, pro certo possessore standum est. Constat ex regul. juris: «In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.» Tom. 2, num. 1-4.

Excipitur si agatur de causis matrimonii, dotis, viduæ, pupilli, et aliis causis piis; nam tunc pro iis iudicandum, cum jura sunt æqualia, etiamsi sint actores.—Lib. IV, num. 210, v. Quoniam.

78. An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum?

In causis civilibus affirmative cum sententia communi et certa, quia spem habere possunt ut veritas elucescat. S. Ligor. num. 222, Laymann. Sanch., contra paucos.—II, 10.

Notant tamen Lugo... quod hoc currit, si probabilitas sit juris; nam si sit facti, etiam in pari probabilitate, quia tunc omnino favendum est reo, communiter dicunt non licere advocato actorem tueri.—IV, 222.

79. An obligatio cælibatus procedat immediate ex præcepto Ecclesiæ, vel mediate, scilicet, ex voto quod in ipsa ordinatione emittitur?

Quidam probabile putaverunt obligationem esse ex sola lege ecclesiastica; quæ tamen opinio originem habet, ut videtur, ex doctrina quorundam veterum perperam intellecta: sed communior et tenenda sententia dicit, hanc obligationem ex voto oriri. Et sane nisi eam ex voto repetas, probabile foret clericum non esse reum sacrilegii in peccatis internis contra castitatem; quod est contra omnium sententiam. II, 41.

Utraque est probabilis ex Tridentino. Prima sententia, quam tenent Mastrius... ac Scotus... apud Salmant., qui cum Sanch. merito probabilem putant, dicit quod non ex voto, sed ex sola Ecclesiæ lege ordinati in sacris teneantur ad castitatem... Secunda sententia probabilior et communior... tenet quod obligatio castitatis non oritur immediate ex lege Ecclesiæ, sed ex voto quod in ipso facto ordinationis emittitur.—VI, 808.

80. An si quis dubitet utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id recitare?

Negat., si dubium sit positivum, id est, si probabiliter iudicet se satisfacisse. Ita S. Ligorius, num. 150, qui dicit esse sententiam communissimam cum Sanchez.—II, 53.

Si quis probabiliter iudicet se implevisse... Horas canonicas..., an teneatur satisfacere si adhuc probabile sit vel dubium non implevisse? Negant plures auctores; sed oppositum est tenendum.—Quæst., I, rec. reform.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

81. An debeat iterari recitatio matutini, si ante tempus (assignatum) habita fuerit?

Affirm. probabilius... Oppositam tamen tenent sententiam Sanch..., et hanc putat probabilem Tamburinus. Hæc autem opinio probabilitate sua non videtur carere. Si quis igitur matutinum recitaverit post horam quidem secundam a meridie, sed ante tempus rubrica præfixum, ut aliquando ex errore fieri solet, ab iterando Breviario excusari posset.—II, 65, quær. 5.

An autem satisfaciatur dicens matutinum hora secunda post meridiem? Alii affirmant, dicendo id hodie permitti ex consuetudine introducta; sed verius negandum... (et adducitur ratio). Quod autem consuetudo undique jam introduxerit recitari matutinum hora secunda post meridiem..., hoc probandum esset; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita. Homo apost., append. III, 74 (cfr. lib. IV, 174, et Quæst. reform. 51).

Tract. de Sacramentis in genere.

82. An conditio verbis exprimi debeat, quando conditionate confertur Sacramentum?

Neg. Ratio est, quia sufficit ad reverentiam Sacramenti ut mente concipiatur. Ita S. Ligorius, Homo apost., tract. XIV, num. 3.—II, 206, quær. 7.

Lib. 6, num. 29, in fine, affirmatum est... communissime (non requiri). Sed quia non desunt auctores aliqui... qui tenent, licet parum probabiliter, valorem Sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.—Quæst. 17 rec. reform.

83. An peccet graviter minister qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus?

Neg. probabiliter, quia obligatio in ministro habendi sanctitatem non oritur præcise ex ipsa sanctitate Christi et Sacramenti secundum se, sed ex ministri consecratione in ordine ad Sacramenta conferenda. Billuart, S. Thom., et alii multi. Affirmant tamen alii non pauci; sic Collet, Lacroix, Lugo, etc.

Prima sententia negat...; hæc est quidem probabilis: sed, spectata ratione, videtur probabilior secunda sententia affirmans... Hinc inferitur 1.º probabilius esse... laicum sive sacerdotem ministrantem non solemniter baptismum in necessitate peccare graviter, si ministret in mortali.

S. Ligorius vero, num. 32, admittit probabilitatem utriusque sententiæ; in afirmativam tamen magis inclinatur.—II, 208, quær. 1.

Inferitur 2.º probabilius peccare graviter contrahentes matrimonium in mortali, non solum Sacramentum suscipiendo, sed etiam ministrando...; nostramque sententiam Croix absolute veram putat...—VI, 32.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

84. An peccet graviter minister consecratus ministrans quidem Sacramentum in mortali, sed non solemniter?

Controvertitur, ut in quæsito præcedenti, eademque pro utraque parte afferuntur auctoritates et rationes.—II, 208, quær. 2.

Sententia (probabilior) docet quod, per se loquendo..., sacerdos ministrans non solemniter, graviter peccat ministrando in mortali. Ratio, etc.—VI, 32.

85. An peccet graviter qui extra Missæ celebrationem ministrat Eucharistiam in mortali?

Affirm. probabilius... Probabiliter tamen censent peccare tantum venialiter Lugo, Salmant., et alii.—II, 209.

In priori libro probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutam (lib. 6, num. 35).—*Quæst. reform.* 62.

86. Quot peccata committat confessarius plures pœnitentes successive in mortali absolvendo?

Duplex est sententia. Nam juxta alios committit tot peccata, quot personas absolvit... Ita S. Ligor. cum aliis. *Alii tamen unum putant esse peccatum.* Ita Salmant. cum aliis quos allegant, eamque opinionem *probabilem* appellat Lugo.—II, 211, quær. 9.

Sed *verius* Concina... et alii docent tot sacrilegia committere, quot absolutiones impertit; quia singulæ absolutiones sunt singula Sacramenta.—V, 50, quær. 6.—In primo libro visa est probabilis opinio (opposita); sed in hoc reprobata est.—*Quæst. reform.* 53.

Tract. de Baptismo.

87. An glacies vel nix sit materia apta Baptismi?

Materia *invalida* est... 4.º nix, glacies, pruina, et alia similia nondum resoluta.—II, 237-2.º

Negant...; sed dubitant Aversa...: ideo dicunt *posse in necessitate adhiberi sub conditione.*—VI, 104, dub. 3.

88. An possit valide baptizari puer in utero matris?

Affirm. *probabilius*, si puer attingatur aqua in utero matris mediante aliquo instrumento. S. Ligor., num. 107.—Recentius autem medicorum peritia aliam methodum invenit, qua *certius* puer nondum in lucem editus baptizari potest. Inventum nimirum est instrumentum, etc.—II, 239; et 259, in fine.

Prima sententia negat...; secunda vero *satis probabilis* affirmat, et hanc tenent Suarez... His positus, puto in casu necessitatis omnino infantem, *sub conditione tamen*, baptizandum esse in prædictis casibus.—VI, 107; *Homo apost.*, tract. XIV, 10.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

Tract. de Confirmatione.

89. An vel qualis sit obligatio sacramentum Confirmationis recipiendi?

Resp. 2.º Juxta S. Ligorium est obligatio sub gravi de præcepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione; idque probat ex declaratione Bened. XIV in bulla *Etsi pastoralis*... Notat tamen Scavini verba Bened. XIV non concludere pro omnibus; quia Pontifex loquitur tantum de invalide confirmatis a presbyteris græcis, qui ideo renuebant de novo ad Confirmationem accedere, quia primam ut validam habebant. Unde aderat hic ratio particularis eos obligandi ad sacramentum Confirmationis suscipiendum, nempe, ut errorem sic retractarent.—II, 270.

Circa necessitatem hujus Sacramenti, alii dicunt quod quilibet, ut confirmetur, *sub gravi curare tenetur*... Sed hoc grave onus negant multo communius (alii)... Prima sententia omnino est tenenda, utpote decisa a Benedicto XIV in bulla *Etsi pastoralis*.—*Homo apost.*, tract. XIV, 47 (cfr. *Theol. Mor.*, VI, 181, 182),

(Alibi vero scribit:) «Si avverta qui, che lo stesso Bened. XIV nella bolla *Etsi pastoralis*, dichiaro che coloro i quali ricusano o transcurano, potendo, diprendere la cresima stando tra greci, debbono ammonirsi dai loro Vescovi del peccato grave che essi commettono... *E lo stesso certamente dee dirsi di coloro che stanno tra latini.*»—*Oper. dogmatica*, sess. XII, 17.

Tract. de Eucharistia.

90. An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?

Controvertitur. 1.ª sententia probabilis affirmat... 2.ª sententia negat.—II, 283.

Prima sententia affirmat... Secunda communis et probabilior negat.—VI, 217.

91. An ommissio vocis *enim* in forma consecrationis, sit gravis?

Controvertitur. 1.ª sententia probabilior negat... 2.ª sententia affirmat; et hanc S. Ligorius dicit non esse improbabilem. Ratio est, quia in re tam gravi non videtur dari levis materia in quacumque mutatione delibata. Sed hæc sententia parvi facienda videtur.—II, 287.

(Busebaum dicit: Omnia sunt de essentia, præter *tò enim*; cujus ommissio esset veniale. Addit autem S. Alph.): *Non improbabiler* Roncaglia et Concina damnant de mortali. *Revera enim in re tam gravi* non videtur levis materia quæcumque levis mutatio *deliberate apposita*.—VI, 220.

92. An in consecratione requirantur ut essentialia illa verba antecedentia: *Qui pridie*, etc. *Simili modo*, etc.?

Neg. contra nonnullos cum sententia communi, quam tenet S. Ligorius, num. 222... Ratio est, quia hæc

Sententia (negativa) est communis et probabilissima; sed *oppositam non audeo dicere improbabilem*; tanto